



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Alphonsi Regis Portugalliæ epistola ad Lucium II. Papam, qua regnum
suum Romanæ Ecclesiæ tributarium constituit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

ALPHONSI REGIS PORTUGALLIAE epistola ad Lucium II. Papam, qua regnum suum Romanae Ecclesiae tributarium constituit.

Proclamatus
Rex an. 1139.
Marian. lib.
10. c. 17.

Vide Innoc.
211. lib. 1.
epist. 99. 441.
448. 447. lib.
24. epist. 59.
lib. 15. epist.
24.

Lucio secundo A. Rex Portugalis. Claves regni
caelorum beato Petro à Domino nostro Iesu
Christo concessas esse cognoscens, ipsum patronum
& advocatum apud Deum omnipotentem habere dis-
posui; ut & in vita praesenti opem illius & consilium
in meis oportunitatibus sentiam, & ad praemia felici-
tatis aeternae ipsius suffragantibus meritis valeam
pervenire. Quocirca ego Adefonsus Dei gratia Por-
tugalis Rex per manum Domini G. Diaconi Car-
dinalis apostolicae sedis Legati Domino & Patri meo
Papae Innocentio hominum feci, & terram quoque
meam beato Petro & sanctae Romanae Ecclesiae of-
fero sub annuo censu quatuor unciarum auri, ea vi-
delicet conditione & tenore, ut omnes qui terram
meam post decessum meum tenuerint, eundem cen-
sum annuatim beato Petro solvant, & ego, tam-
quam proprius Miles beati Petri & Romani Pontifi-
cis, tam in me ipso quam in terra mea vel in iis
etiam quae ad dignitatem & honorem meae terrae ac
etiam defensionem & solatium apostolicae sedis ha-
beam, & nullam potestatem alicujus ecclesiastici
secularisve dominij, nisi tantum apostolicae sedis vel
à latere ipsius missi, unquam in terra mea recipiam.
Facta oblationis & fortitudinis charta Idus Decem-
bris aera MCLXX. Ego supradictus Adefonsus
Portugalis Rex hanc cartam fieri jussi, & libenti
animo coram idoneis testibus propria manu confir-
mo. Ego Iohannes Bracharensis Episcopus confir-

mo. Ego B. Colimbriensis Episcopus confirmo. Et
ego Petrus Portugalensis Episcopus confirmo.

Lucij II. Papæ responsoria.

Lvcius Episcopus servus servorum Dei dilecto in
Christo filio A. illustri Portugalensi Duci salu-
tem & apostolicam benedictionem. Devotionem
tuam, dilecte in Domino fili, maximè congaudemus,
quòd temetipsum de illis ovibus recognoscens quas
Dominus noster Iesus Christus beati Petri custodiae
commendavit, cùm ad expugnationem paganorum
intentus, multisque negotiis secularibus occupatus,
Apostolorum limina visitare non posses, per manum
dilecti filij nostri G. Diaconi Cardinalis tunc in par-
tibus illis apostolicæ sedis Legati prædecessori nostro
felicis recordationis Papæ Innocentio hominum
laudabili devotione fecisti, & terram tibi à Deo
commisam beato Petro Apostolorum principi obtu-
listi, atque personam tuam & terram ipsam ipsius
patrocinio humiliter commisisti, postmodum verò
tam per litteras tuas quàm per venerabilem fratrem
nostrum I. Bracharensis Archiepiscopum nobis
etiam promisisti ut tam tu quàm hæredes tui de terra
ipsa quatuor uncias auri annis singulis Romano Pon-
tifici persolvatis. Nos itaque, qui, licèt indigni,
beati Petri loco residere conspiciamur, tam te quàm
filios tuos & successores vestros intra heredes ipsius
Apostolorum principis ipso adjuvante suscipimus, ut
in ejus benedictione & protectione tam animarum
quàm corporum maneat, per quam ab hostium vi-
sibilibium & invisibilibium expugnatione defensi, ad
cælestia regna pervenire largiente Domino valeatis.
Datum Laterani Kalendis Maij.

